

ut sunt cognati aut propinqui, fratres, parentes, etc. Quod est probabile. Tamen, ut possimus aliquam certam regulam assignare, et ut teneamus proprietatem verborum textus, necessarium est dicere, tantam esse debere conjunctionem, ut alterius injuria in propriam personam censeatur redundare, qualis censeatur regulariter esse inter parentes et filios, et fratres inter se, non vero in aliis gradibus, nisi specialis aliqua ratio intercedat, ut si injuria fiat in mea domo, vel personæ, quæ existit sub cura et protectione mea, vel cum alia simili circumstantia, quæ interdum non solum inter amicos, imo aliquando etiam inter extraneos facit ut injuria alterius tanquam propria reputetur. Atque ob similem causam potest dominus accusare propter injuriam factam famulo, vel mancipio, non solum propter nocumentum, quia læditur in re sua, sed etiam propter injuriam propulsandam et similem præcavendam. Atque majori ratione potest Prælati Ecclesiæ conqueri de injuriis suorum clericorum, vel implorare auxilium magistratus secularis ad propulsandam injuriam, vel nocumentum illatum suæ Ecclesiæ, juxta dict. c. Pervenit, nam licet ipse magistratus ex officio teneatur has injurias vindicare, non expectata Episcopi acusatione, juxta l. Si quis hoc genus, C. de Episc. et cler., nihilominus ipse Episcopus habet facultatem petendi iudicis officium et providentiam contra talem reum; neque est, quod timeat irregularitatem, facta protestatione in causa sanguinis, quia injuriam illam merito potest reputare tanquam suam. Et simile est de quolibet alio, ad quem ex peculiari officio aut jure spectet cura alterius personæ, cui injuria facta est.

48. *Conclusio ex dictis.* — *Expenditur dict. cap. 2 de Homicidio, in 6.* — *Accusans reum coram iudice Ecclesiastico non indiget protestatione.* — *Neque coram seculari, si crimen non est dignum pœna deformationis.* — Ex his igitur concludo, ut accusatio liceat in causa sanguinis ad accusatorem pertinente, facta protestatione, absque periculo irregularitatis, non esse necessariam aliquam limitationem, præter hanc, quod serventur conditiones vel circumstantiæ in dict. cap. 2 insinuatæ, cujus nonnulla verba notanda sunt. Primum est illud: *Qui de laicis suis malefactoribus;* nam de clerico malefactore accusatio faciendâ est coram iudice Ecclesiastico; et ita non habet locum hæc constitutio, ut statim dicetur; si autem fiat coram

iudice laico est injusta et iniqua; et similis erit sanguinis sententia, si inde sequatur, et ita non poterit excusari irregularitas, quæ tunc non erit tantum ex defectu lenitatis, sed homicidii voluntarii. Aliud verbum est: *Penes secularem iudicem;* nam penes Ecclesiasticum semper hoc licuit, nec est necessaria protestatio, quia Ecclesiasticus iudex non potest procedere ad sententiam sanguinis. Quod si fortasse procedat usque ad declarationem criminis digni tali pœna, relinquendo personam rei in potestate brachii secularis, adhuc accusator non fiet irregularis, quamvis protestationem non præmittat, quia ejus actio in Ecclesiastica sententia terminatur, nec magis potest irregularitatem inducere, quam ipsamet sententia. Quod si fortasse Ecclesiasticus iudex temere procedat usque ad sanguinis sententiam, ita ut irregularis ipse fiat, non propterea accusatori ad irregularitatem imputabitur, per se loquendo, quia ejus accusatio ad hoc non tendebat, neque ipse censeretur potest causa illius damni; secus vero esset, si ex malitia talem sententiam procurasset vel ad illam concurrisset. Atque idem dicendum est, quoties accusator coram iudice etiam seculari agit causam, quæ ex se non meretur deformationis pœnam, ut notarunt Navarr., Covarr., et alii citatis locis; nam, licet contingat imponi talem pœnam, vel ex malitia iudicis, vel ex supervenientibus occasionibus, non imputabitur accusatori, nisi forte potuerit et debuerit prævidere periculum, atque illud cavere.

49. Tertium verbum est: *Petunt emendam, etc.* Non enim excludit omnem aliam actionem præter accusationem, sed potius hanc concedendo, concedit alias per se cum illa conjunctas, ut sunt querelam prosequi, præsentando testes, et alia efficiendo, quæ ad vincendam causam necessaria sunt, ut ex communi sententia notavit Navarr., consil. 9, de Homicid. Qui addit ex Ancharrano et Franco, etiam post latam sententiam posse petere executionem ejus, et ut malefactores capiantur. Dubitat vero, an ante latam sententiam possit accusator petere, ut malefactor capiatur, magisque dubitat, an possit indicare locum, ubi comprehendi possit fur, vel an possit eum detinere donec capiatur, quia hæc actiones non videntur necessariae ad recompensationem damni illati, et magis pertinent ad criminalem executionem sententiæ, cui cooperari non licet sine discrimine irregularitatis, quam ad petitionem juris sui, quæ

sola conceditur. Et confirmari hoc potest; nam si quis clamet, ut fur comprehendatur, et inde sequatur ejus mors, non excusatur ab irregularitate, ut videtur esse communis sententia, quam refert Covarr., dict. § 5, num. 3, et Maiol., lib. 5, cap. 48, § 4, n. 7; ergo minus licet illum capere et iudici ad mortem tradere.

20. Circa hoc Navarr., dicto consil., distinctione utitur; nam si fur sit fugitivus, licitum erit detinere, vel indicare locum ut capiatur, quia tunc est medium necessarium ad effectum sententiæ et satisfactionem accusatoris; secus vero est, quando malefactor non est fugitivus, sed capi poterit a iudice, quia tunc non est medium necessarium. Quod confirmat ex simili distinctione juris civilis, quod debitor fugitivus capi potest auctoritate privata, non vero qui non est fugitivus, l. *Ait prætor*, § Si debitorem, ff. Si in fraudem creditorum. Mihi vero distinctio non videtur necessaria, tum quia juxta subjectam materiam vix potest esse reus, qui non sit persona fugitiva in ordine ad iudicis comprehensionem, et semper est periculum, quod capi non possit, quamvis contingat in uno esse plus quam in alio; tum etiam quia supponimus actionem accusatoris alioqui esse licitam, sive per detentionem fugientis latronis, sive per indicia data iudici ad ejus comprehensionem; tum denique quia supposito jure dicti cap. 2, non est necesse medium esse necessarium simpliciter, sed satis est esse utile. Dico igitur, illud totum posse fieri sine irregularitate. Quod tenet expresse Covarr., citans plures, dict. § 5, n. 4, in fin., et Tabiena, *Irregularitas*, 3, num. 8, argumento c. Tua nos, § ult., de Homicid. Idem tenet Maiolus, lib. 2, cap. 7, num. 4, citans Speculatorem. Idemque colligitur ex Ancharrano et Franco, quos citat Navarrus. Parum enim referre videtur, quod captura fiat ante vel post latam sententiam; semper enim ad eundem finem ordinatur. Non ordinatur autem ad criminalem executionem tantum (tunc enim fieri non posset sine discrimine irregularitatis), sed ordinatur ad civilem executionem, id est, ad restitutionem damni illati.

21. *Vociferans adversus latronem, qui in ipsa fuga occiditur, non fit irregularis.* — Ad confirmationem de vociferante adversus latronem, qui ea occasione occiditur, distinguendum est; aut enim occisio fit postea a iudice, vel fit statim in ipsa fuga vel captura a privatis hominibus. In priori casu nego

vociferantem manere irregularem; nam si licet capere et definire sine irregularitate, a fortiori licebit clamare, ut ab aliis detineatur. Nego etiam, communem opinionem esse in contrarium, nam auctores, qui citantur, vel pauci sunt, vel non loquuntur in hoc sensu, sed in posteriori. Supponimus autem illum, qui sic clamet, esse ipsummet, qui patitur furtum, seu qui habet jus accusandi furem; oportet autem, ut protestationem postea faciat, ut evitet irregularitatis periculum; si autem quis clamet in furto alieno, ita de illo judicandum est, sicut de accusante in causa aliena. In posteriori autem casu incurritur irregularitas, et in eo expresse loquuntur Innocent., Hostiens. et Abb., in cap. Significasti, de Homicid., et de illo intelligendi sunt Summistæ, Angel., *Homicidium*, 2, num. 4; Sylvester, quæst. 17; Tabiena, *Irregularitas*, 2, num. 19; Armill., num. 33; nam licet absolute loquantur, *quando latro occiditur*, citant tamen prædictos juristas, et ideo juxta illos exponendi sunt; in eo autem casu si homicidium sit intentum, irregularitas erit homicidii voluntarii; alioqui erit casualis, et oportebit periculum esse prævisum, aut incaute ignoratum, quia sic vociferans operam dat rei licitæ, scilicet, defensionem honorum; non enim debet clamare ut occidatur, quod per se notum est, sed ut impediatur, vel fugatur, vel quid simile. Ita fere Sylvest., supra, et quæst. 16, et Covarruv., supra, et sumitur ex dict. cap. Significasti, et intelligendum est juxta supra dicta de honorum defensione.

SECTIO III.

Utrum ferens testimonium in causa sanguinis justa, sequuto effectu, fiat irregularis.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi sumi potest ex cap. Tua nos, § ult., de Homicid. Ubi præbens iudici signa comprobantia delictum latronis postea occisi non censeatur irregularis; illa autem actio æquivalet testimonio, vel certe majus est illo, quia non solum certius, sed etiam evidentius ostendit delictum. In contrarium vero est, quia testis suo dicto et actione est causa homicidii subsequuti; ergo cooperatur iudici, et sic participat eandem irregularitatem cum illo.

2. *Communis sententia.* — Communis sententia est, eum, qui testimonium dicit in causa criminali, sequuto effectu, fieri irregularem. Quam tenet Glossa, Abbas, Felinus, et alii

quos refert et sequitur Covarr., dict. § 5, num. 6, in fin.; et Navarr., cap. 27, num. 212; et Maiolus, lib. 2, cap. 8. Qui distinctius quam alii explicat, quod licet testis iudicis præcepto coactus, aut per vim vel metum, qui in virum constantem cadat, cogatur delinquentem revelare, semper erit irregularis, et citat Tabienam, verb. *Irregularitas*, num. 22, ubi id affirmat, non quidem de illo qui solum testificatur veritatem, sed de illo qui indicat alium iudici, vel alteri quærenti illum ad mortem. Et idem sentit Sylvester, *Homicidium*, 3, quæst. 7, vers. *Sextum*, et in quæst. 2, idem simpliciter dixerat de teste; in neutro autem loco explicat hoc procedere, etiamsi ex justo timore vel præcepto hoc faciat. Idem tenet Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 2, in princ. Fundamentum præcipuum est, quod est propositum de cooperatione, quæ major est in teste quam in accusatore, quia accusator non ita movet iudicem ad ferendam sententiam sicut testis; accusator etiam agit pro se, testis vero in causa aliena. Et protestatio non censetur sufficere in teste, quamvis accusatorem excuset, quia testis non sua defendit, sicut accusator. Unde ad hanc irregularitatem probandam necesse non est aliquod jus afferre, ubi expresse feratur, nam continetur in his, quæ eos faciunt irregulares, qui quovis verbo, aut facto ad homicidium cooperantur, ut cap. De his, et Si quis viduam, cum aliis, dist. 50, addendo, testem nullo jure excipi, etiam facta protestatione, sicut excipitur accusator.

3. *Probatur conclusio in teste accedente ad testimonium ferendum voluntarie.* — Hæc communis sententia indubitata esse debet, quando testis voluntarie accedit ad testimonium ferendum in causa criminali, sive ultro se offerens, sive rogatus ab accusatore, sive vocatus a iudice simplici mandato sine coactione vel obligatione in conscientia; nam licet in his casibus non peccet testificando, supponimus enim et causam esse justam et testificationem veram, nihilominus quia testificatio est simpliciter spontanea, sufficit ad irregularitatem ex defectu lenitatis contrahendam. Neque in hoc occurrit aliqua difficultas, quia, licet testificatio videatur esse sola veritatis assertio, tamen practica et in particulari facto proposita, movet et est causa actus, et ideo voluntarie facta sufficit ad hanc irregularitatem.

4. *Argumenta pro parte negativa de testificante ex præcepto.* — Difficultas autem est,

quando intervenit præceptum iudicis obligans in conscientia, vel coactio cadens in constantem virum. Nam his duobus casibus videri potest, non incurri irregularitatem propter hujusmodi testimonium, maxime si cum protestatione fiat, quod solum ad vitandum peccatum, vel proprium nocumentum, et non in damnum alterius fit. Ratio est, quia in illo casu neque intervenit culpa, nec fit actio pure voluntaria; ergo nec irregularitas ex delicto, neque ex defectu lenitatis ibi contrahitur. Deinde applicatur ratio supra adducta ex Cajetano circa obligationem charitatis, quia scilicet nemo fit inhabilis in suo officio, eo quod impleat charitatis obligationem; hæc enim non minus urget in obligatione justitiæ, quæ quodammodo major est, et in obligatione obedientiæ, quæ illam etiam includit. Qui enim fieri potest, ut quispiam incurrat in pœnam vel defectum legalem, propterea quod præcepto superioris obediat? Dices: etiam iudex obedit legi, quando pœnam sanguinis lege taxatam imponit, et nihilominus fit irregularis. Respondetur, hanc obedientiam iudicis seu necessitatem ejus fundatam esse in propria voluntate, qua se ad tale munus seu ad talem causam applicavit; unde dicere possumus, obligationem illius esse quasi conditionatam et quoad specificationem tantum, non absolutam et quoad exercitium; nam si vult iudicis munus exercere, debet juste et secundum leges judicare, absolute tamen non cogitur esse iudex; necessitas autem et obligatio testis est absoluta, ut culpam et inobedientiam vitare possit; non enim solum obligatur, ut dicat verum si testificatur, sed simpliciter ad testificandum obligatur; et ideo absurdum videtur, quod obediendo irregularis fiat.

5. *Confirmatur eadem pars.* — Et confirmatur ex ratione Pontificis, in dict. cap. 2 de Homicid., in 6, ubi accusatio cum protestatione permittitur clericis, ne detur malefactoribus materia trucidandi et deprædandi ipsos clericos, quæ daretur, si clerici non possent de suis malefactoribus conqueri. Hæc vero ratio et dispositio inefficax esset, si clerici non possent testes producere, qui absque periculo irregularitatis possent saltem a iudice per præceptum cogi ad testimonium dicendum; sæpe enim non potest probari veritas nisi per clericos, qui magis deterrebuntur a munere testificandi timore irregularitatis, quam a munere accusandi, quia minus commodi inde sperant; inutilis autem esset accu-

satio, si non posset adhiberi probatio. Quod si clerici tunc testificari possunt, multo magis laici, tum quia facilius ad hoc cogi possunt a iudice seculari; in clericis enim necessarium erit Prælati mandatum, quod difficilius obtinebitur; tum propter rationem sæpe tactam, quod omnia, quæ licent in hoc genere clericis sine irregularitate, licent etiam laicis, servata proportione; tum denique quia sæpe evenit delictum non posse probari nisi per laicos, qui timore irregularitatis avertentur etiam a testificando. Ergo concessa illa facultate accusandi sine irregularitate, concessum censi debet quidquid ad finem et effectum ejus necessarium est. Nam hoc etiam principium in jure manifestum est, concessa potestate ad aliquem usum, concedi etiam omnia, quæ ad illum necessaria sunt.

6. *Objectio. — Solutio. — Instantia. — Confirmatur ultimo eadem pars.* — Dices: hoc argumento probaretur, omnes ministros justitiæ posse sine irregularitate cooperari in tali causa, quia etiam sine illis non posset accusatio ad effectum perducere. Respondeo, esse dissimilem rationem, quia illi omnes ex officio sunt voluntarie deputati ad talia munera, sicut de iudice dicebamus; et ideo quamvis necessarii sint in republica, non oportuit eis speciale privilegium concedere, ne tales causæ impediatur, quia nullum est de hac re periculum; nunquam enim desunt ministri, qui hæc munera exerceant propter utilitatem temporalem, non obstante irregularitate. At vero ad testimonium ferendum non sunt aliqui ex officio deputati, sed est particularis actio privatorum personarum, et non voluntaria, id est, non sine coactione aut obligatione præcepti. Sed urgebis: ergo, si contingeret te esse advocatum, tabellionem, vel similem ministrum, qui vellet concurrere in ea causa, non esset irregularis, si ex præcepto iudicis ad hoc compelleretur; consequens autem est falsum, alias neque executor sententiæ suis manibus occidendo hominem fieret irregularis, si id faceret præcepto iudicis; et idem dicendum esset de militibus et similibus, quod videtur absurdum. Respondeo: primo de illis ministris, qui ex officio sunt deputati ad hæc munera, neganda est sequela, quia licet in particulari causa ad agendum ex præcepto compellantur, illud habet originem ex voluntario usu talis officii, et ideo expresse in ipso jure extenditur hæc irregularitas ad ministros, ut statim videbimus. Secundo de ministro exequente pœnam

mortis vel mutilationis quoad hoc eadem erit ratio, si munus illud voluntarie assumpsit; si vero fingamus esse personam privatam, quæ omnino cogitur præcepto, in primis non habet in eo locum ratio proxime sumpta ex dict. cap. 2, quia illud ministerium non est necessarium ad finem et effectum accusationis, prout fieri debet cum protestatione requisita. Deinde in tali persona est peculiare scandalum et peculiaris infamia, ratione cuius non potest ab irregularitate excusari. De militibus autem dicemus postea. Tandem confirmatur hæc pars, nam ibi non est propria voluntas, sed præcepti necessitas; ergo non potest effectus sequutus ad defectum lenitatis imputari; quis enim dicat hunc defectum fuisse in Abraham, eo quod ex præcepto Dei filium interficere voluerit? Sicut etiam esset defectus lenitatis, imo et homicidium sui, vitam propriam prodigere in manibus inimici sine causa; tamen ex præcepto Dei vel Prælati id facere, quando oportet, non est defectus lenitatis. Ergo in præsentis casu in quo versamur, non potest actio illa imputari ad defectum lenitatis; ergo nullum superest fundamentum sufficiens irregularitatis.

7. *Argumenta pro parte negativa, de testificante ob metum gravem.* — Similia argumenta fieri possunt de testimonio dicto per vim vel metum cadentem in constantem virum, quia tunc illa actio non potest dici ex defectu lenitatis, cum sit quodammodo moraliter coacta. Item ibi non est culpa, neque plena voluntas; ergo deest utrumque fundamentum irregularitatis ex causa sanguinis. Item illud est unum ex mediis, quibus iudex uti potest ad promovendam causam et accusationem. Denique ipsemet accusator, ut res suas recuperet et similia damna præcaveat, potest sine irregularitate accusare cum protestatione; ergo et testis in prædicto casu. Patet consequentia, quia ille tunc potius agit de damno proprio vitando quam alteri inferendo. Unde illa testificatio solum videtur esse quædam defensio sui per actionem per se et intrinsece honestam; damnum autem, quod alteri inde sequitur, est per accidens respectu testificantis, quia neque est directe voluntarium, ut supponimus, neque etiam indirecte, cum non teneatur illam actionem vitare, ne sequatur tale damnum. Confirmatur ex dict. cap. Tua nos, quod videtur huic sententiæ favere, quia ibi iudex misit nuncios ad scholarem quemdam, ut exponeret si quæ sciret de fure, vel traderet intersignia, quæ ille

misit satis magna; respondit Pontifex nullum impedimentum incurrisse; illa autem manifestatio seu traditio signorum quaedam testificatio fuisse videtur. Accedit quod in cap. Qui cum fure, de Furtis, dicitur reum esse furti, qui furti conscius quaerente possessore non indicat, ubi significatur hoc esse in praeccepto juris canonici; ergo qui illud impleverit, non fiet irregularis, licet inde sequatur supplicium sanguinis.

8. *Argumenta solvuntur.* — Ad haec vero argumenta dicendum est, ad summum probare in causa civili modo supra explicato, ubi directe non agitur de causa sanguinis, sed de interesse alicujus, non incurrere irregularitatem, quando quis licite testimonium praebet, et maxime si id faciat ex praeccepto vel coactione superioris; tunc enim licet per accidens sequatur condemnatio in poena sanguinis vel deformationis, non imputatur testi, quia dabat operam rei licitae, et per se non cooperabatur illi effectui, nec de tali actione est specialis prohibitio propter periculum ejus; quod si aliquid sit et praevideatur, satis erit tunc protestationem praemittere, sicut de denunciatione dicebamus. At vero in causa criminali digna morte vel mutilatione, nullo modo potest effugere testis periculum irregularitatis, etiamsi maxime compellatur praeccepto vel comminatione iudicis, quia haec sunt accidentalia et extrinseca, quae non considerantur in jure, et alioqui actio illa semper participat indecentiam moralis concursus directe et per se ordinati ad sanguinis effusionem. Et per hoc satisfit omnibus objectionibus et exemplis. Jura autem ultimo loco citata parum urgent; nam cap. Tua nos, § ult., loquitur de homicidio, quodammodo et

per accidens subsecuto respectu cujusdam scholaris, qui ibi iudicatur ab irregularitate immunis; praeterquam quod ille testis proprie non fuerat, sed quaedam indicia valde remota illius personae tradiderat. In cap. autem Qui cum fure, imprimis non agitur de manifestatione furis, sed furti, id est, rei furto sublatae (licet Glossa aliter exponat). Quod si ex charitate et justitia necessarium sit revelare personam, et inde imminet periculum mortis, tunc servanda est regula posita, et ut id non fiat agendo vel testificando criminaliter, et servatis aliis circumstantiis superius positis.

SECTIO IV.

Utrum curiales et ministri justitiae in causis criminalibus irregulares fiant.

1. *Conclusio.* — *Curiales qui dicantur.* — Innocentius III, epist. 24, cap. 2, hos omnes irregulares esse dicit, et habetur in cap. 1, d. 54. Nam licet in fine ita concludat: *Quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur*, quae verba videntur poenam per iudicem ferendam continere, et respectu ordinatoris sine dubio talia sint, nihilominus ex praecedentibus verbis constat hujusmodi personas prohiberi, ne ordinentur, atque adeo fieri irregulares ratione talis ministerii. Verba autem, quibus hi ministri significantur, sunt: *Curiales, qui dum parent potestatibus, quae sibi sunt imperata, fecerunt*, et illa: *Qui in forensi exercitatione versati sunt*. In quibus verbis primum obscurum est, quinam sint *curiales*, qui ex tali munere irregularitatem contrahunt. Nam Glossa ibi tantum exponit, id est, *officiarii*; sed intelligenda est juxta subjectam materiam, nam generali appellatione dici solent curiales, qui in curia principis versantur, et in ea munus aliquod exercent ad ipsammet curiam spectans; et nunc vulgari sermone maxime ita vocantur (quasi per antonomasiam) officiales Romanae Curiae, qui ad praesentem considerationem non spectant, ut per se notum est. Curiales ergo secundum subjectam materiam dicuntur, qui in quacumque seculari curia ministri sunt in causis sanguinis, quomodo-cumque ad illas cooperentur, ut sunt tabeliones, procuratores, sollicitatores et inferiores etiam ministri, qui ad denunciant, vel

scribunt sententiam, vel aliquid simile munus exhibent, ut aperte habetur in dict. cap. 1, 2 et 3, d. 54, et ex omnibus scribentibus.

2. *Curiales secularis curiae, dum in officio persistunt, sunt irregulares.* — *Non postea nisi cooperati sint ad causam sanguinis.* — Est autem circa hos curiales advertendum, omnes esse irregulares ad Ordines, quamdiu in ministerio permanent, quosdam vero etiam illo demisso, licet non omnes. Ratio prioris partis est, quia sicut clerici immisceri non debent his officiis secularibus, ita etiam majori ratione qui actu sunt illis officiis destinati, inepti sunt, ut ad clericatum assumantur. Quae ratio non solum probat de curialibus in causa sanguinis, sed etiam in quibuscumque causis forensibus ac secularibus, ut ex eisdem

capitulis colligitur, et ibi notant auctores. Altera vero pars declaratur, nam vel isti curiales, tempore, quo tale munus exercuerunt, nunquam cooperati sunt in causa sanguinis, quae habuerit effectum deformationis hominis, et tunc exercuisse tale munus, si illud deponant, et nullum aliud subsit impedimentum, non oberit ordinationi, quia, ut dixi, etiam ipsa sententia sanguinis, si non pervenit ad effectum, non inducit irregularitatem, quod etiam in dict. cap. 1, significatum est, ibi: *Qui dum parent potestatibus, quae sibi sunt imperata, fecerunt*, quae imperata paulo ante vocata sunt, *sava praeccepta*. Et in cap. 2, ita exponit Glossa, verb. *Administraverit*. Idem colligitur ex cap. Ossius, 54 d. Dixi autem, *Nisi aliud impedimentum interveniat*, quia potest aliquando tale esse ministerium, ut ex eo generetur infamia, et tunc illa impedit quamdiu duraverit; sed illa est irregularitas alterius rationis. Vel durante munere intercessit cum effectu cooperatio ad deformationem, et tunc etiam relicto munere manet, etiamsi officium deponatur, irregularitas propria, de qua nunc agimus, ut constat, tam ex dictis capitibus quam ex multis aliis dist. 50, et ex citatis in principio.

3. *An advocatus fiat irregularis.* — Hic vero superest speciale dubium de advocato propter illa priora verba dict. cap. 1: *Qui post baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt*; ubi Gloss. exponit, id est, qui advocati fuerunt; et tamen in eis non postulatur effectus effusionis sanguinis; imo nec fit determinatio ad eos, qui patrocinantur in causa criminali, sed absolute in forensi; ubi Archidiaconus exponit, tam in causa civili quam criminali. Nec dicitur, *qui versati sunt*, sed, *qui versati sunt*; ergo significatur, ex illo munere reddi hominem irregularem per se et absque alio effectu. In contrarium autem videtur, etiam secuto effectu advocatum non fieri irregularem, quia ipse neque inducit, neque est causa, sed solum declarat veritatem. Dicendum autem est, advocatum in causa sanguinis, si ex illa sequatur effectus deformationis, esse irregularem, non vero absque tali effectu. Utraque pars certa, prior quidem ex citatis decretis, quae necesse est saltem hoc modo verificari. Et ratio etiam est clara, quia advocatus multum influit in talem sententiam; quamvis enim veritatem consulat vel doceat, tamen quia practice docet movendo ad opus, ideo particeps fit effectus subsequenti. Et in hoc conveniunt omnes Doctores

quos supra citavimus, et videri potest Anton. dict. cap. 2, § 2.

4. *Secus si effectus non sequatur.* — Posterior vero pars non est tam certa sicut prior, nam aliqui auctores tenent contrarium, ut Maiol., cum Speculatore, et Hug., lib. 2, c. 9, qui volunt in eo casu incurri irregularitatem Episcopalem. Tamen communior sententia est in contrarium, quam tenent Doctores supra citati circa personam iudicis, et a fortiori sequitur ex ibi dictis, nam multo major ratio irregularitatis est in iudice quam in advocatione. Et ratio generalis est, quia sine actuali effusione sanguinis, neque homicidium intervenit, neque defectus lenitatis. Ad verba autem citata responderi potest, ex vi illorum solum colligi irregularitatem, quae durat durante munere; nam ut major incurratur necessarium est, ut sequatur effectus, et ideo juxta posteriorem clausulam de curialibus illa prior intelligitur. Aut certe (quod verius censeo) illis verbis jungendi sunt quae proxime sequuntur, scilicet, *et obtinendi pertinaciam susceperunt*, quibus significatur, non quodecumque advocati patrocinium, sed illud quod pertinaciter datum est usque ad sequutum effectum, inducere hanc irregularitatem. Quam expositionem significant ibi Gloss., Archidiaconus, et Turrecr.

5. *An advocatus qui pro reo agit, sequuto effectu deformationis contra accusatorem, fiat irregularis.* — Quæri praeterea solet, utrum advocatus fiat irregularis, non solum, qui agit contra reum, sed etiam qui illum defendit, si contingat inde resultare, ut reus absolvatur et in accusatorem feratur poena talionis. Videtur enim ille non incurrere, quia non agit contra alium, sed tantum defendebat reum, et alioqui dabat operam rei licitae, et non ordinatae ad sanguinis effusionem; ergo, quamvis per accidens sequatur, non inducet irregularitatem. Nihilominus multi censent, in eo casu advocatum fieri irregularem. Ita tenet Gloss., in dict. cap. 1, d. 50; et ibi Archid., et Turrecr.; et Navar., cap. 27, n. 212; et Maiol., dict. cap. 9, n. 2, qui alios refert. Et potest pro hac sententia induci dict. cap. 1, quod indifferenter loquitur de advocatione. Ratio vero est, quia defensor rei, licet non directe, per necessariam consequentiam agit contra accusatorem, et ideo est moralis causa deformationis in illo subsequente, quamvis illam non intenderet. Alii dixerunt, advocatum rei in hoc casu fieri irregularem, si sit clericus, quia dat operam